

verificaretur puritas regulæ quæ excludit quamcumque certitudinem reddituum, et jurium, ita ut Fratribus victum, et vestitum debeat incerta mendicitas præbere juxta *c. Religiosum De religiosis domib. in 6^o*. Exposita regula deprehenditur etiam ex resolutione S. Congr. in *Firmana diei 3. Octobr. 1721*. At per hoc non prohibetur testator quominus hæredi suo, et successoribus imponat onus celebrationis annuæ Missarum a Fratribus Minoribus perficiendæ, quia excluso proprie dicto jure ex parte fratrum solutio legati potest considerari ceu eleemosyna annualis a fidelibus quotannis oblata: quemadmodum videre est in *Valvensi seu Aquilana diei 5. Maji 1735* et in *Aprutina diei 29. Febr. 1677* S. Congr. Concilii. In causa vero *Brundusina 26. Aug. 1719* censuit S. Congr. Concilii Patres strictioris observantiæ S. Francisci incapaces esse legati quod relictum sit cum onere adjecto celebrandi aliquas missas; hæredes vero posse census alicui assignare cum auctoritate Episcopi pro onere Missarum ita ut novus censuarius se obliget ad solvendum fratribus eleemosynam juxta formam testamenti.

Huc etiam referenda est resolutio S. Congr. de qua supra, et relata a Fagnano in cit. loco *De Excessibus Prælatorum*. Videlicet in responsione ad *artic. 1. distinct. IV*. S. Congregatio censuit: 'Fratres Minores tum observantes quum reformatos non esse capaces legatorum annuorum, quæ fiunt sine aliquo onere aut modo adjecto, nisi ad effectum illa extinguendi, seu illorum proprietatem et pretium convertendi in usus fabricæ vel sacristiæ'. In responsione autem ad *art. 11*. censuit: 'Non regulares ipsos, sed Syndicum Apostolicum tantum posse eandem proprietatem in judicio petere'.

64. Tandem pro Italia præ oculis habenda est Instructio S. Pœnitentiariæ diei 18. Aprilis 1868, in qua ad damna ordinibus regularibus ob suppressionem illata reparanda, concessa est Ordinariis locorum (quoad Moniales) et superioribus generalibus (quoad viros) facultas indulgendi sive per se sive per idoneas personas respectivis subditis, ut perdurantibus præsentibus circumstantiis bona sibi legitimo jure spectantia, ac etiam hæreditates, salvo tamen jure tertii quæsito, assequi, retinere et de iis contractus inire atque in pios honestosque usus, necnon in grati animi significationem etiam per actus ultimæ voluntatis disponere valeant, accedente ordinarii, aut Superioris, vel alterius per eum deputati, aut saltem in casu necessitatis Confessarii consilio, et approbatione, ita tamen

ut administrationem, et redditus bonorum quoad vixerint communitati propriæ, si capax sit possessionis, tradere debeant, et eidem relinquere teneantur quidquid de bonis propriæ Religionis ipsis obvenit. Quod si religio sit incapax possessionis, administratio committenda erit alicui tertiæ personæ ita ut absque Ordinarii aut Superiorum Regularium consensu nihil de fructibus sibi applicare, aut quocumque modo disponere possint.

65. Juxta leges civiles hæredi salva esse debet quarta pars rerum hæreditariarum. Hinc inductum est ut ex legatis detraheretur quarta pars, quæ dicitur falcidia, et ex fideicommissis detraheretur pariter quarta, quæ dicitur trebellianica. Quæritur an quarta falcidia detrahi possit ex legatis, vel quarta trebellianica ex fideicommissis particularibus relictis Ecclesiæ, vel causis piis. Receptum in jure est ut hæc detractio non fiat, quemadmodum ipsæ leges civiles decernunt in auth. *Similiter c. ad leg. Falc.*

66. Loco falcidiæ inductum est in jure canonico ut Episcopus ex legatis ad causas pias detraheret in sui favorem quartam partem, quæ dicta est portio canonica. Inducta vero est hæc dispositio ut servaretur imago, et forma jurium Episcopi, qui ante divisa bona ecclesiastica in singulas præbendas, et pias institutiones ipse erat administrator natus omnium bonorum ecclesiasticorum qui proinde directe percipiebat fructus omnium bonorum, et directe percipiebat utilitatem eorundem.

67. De hac portione canonica agunt *c. 14. c. 15. et c. ult. h. t.* in quo datur exceptio. Scilicet non subjicitur detractio portionis canonicæ legatum ad scopum determinatum ex. gr. ad emendam suppellectilem, vel ornamenta Ecclesiæ, vel pro fabrica. In hoc capite ultimo glossa jam animadvertibat canonicam portionem diversimode deduci juxta varias consuetudines locorum, et ad id probandum affert etiam plura juris capita. Ex quo factum est etiam ut consuetudine contraria fere ubique præscriberetur ipsum jus Episcopi ad canonicam portionem obtinendam.

68. Occasione *c. 5. h. t.* quæstio instituenda est: 'An valeat legatum rei alienæ?' Ex clara dispositione juris civilis expressa in § 4. *Inst. Just. De legatis*, legatum hujusmodi valet, quoties testator sciverit esse alienam, quo in casu hæres cogitur vel rem redimere, et tradere legatario, vel, si eam redimere nequeat, cogitur eidem præstare æstimationem. Censetur autem hæres redimere non posse rem legatam sive cum dominus interrogatus eam

non vendat sive cum eam non vendat nisi immodico pretio *l. 14. ff. De leg. 3.* Legatum vero non valet quoties testator ex bona fide quomodocumque, seu ex errore vel facti, vel juris putaverit esse suam. Hoc enim in casu ait Imperator forsitan si scivisset alienam rem esse, non legasset. Jam vero Gregor. M. in *c. 5.* asserit leges sæculi seu leges civiles Romanas sine ulla distinctione jubere observantiam legati in re aliena, simulque non dubitat asserere leges civiles hac in re contrarias esse legibus divinis ac proinde iniquas esse.

69. Doctores protestantes vehementer carpunt Gregorium M. ob hanc contra leges civiles censuram illatam, eumque traducunt veluti inscium in jure sapientissimo Romanorum. Variæ proponuntur ab auctoribus solutiones ad Gregorium protuendum, qui filius Gordiani senatoris, et prætorio officio functus, scientissimus certe fuit rerum, legumque Romanarum. Ut in nostra disquisitione claritati consulamus, inspicienda est decretalis Gregorii in sua primitiva forma et prout a B. Raimundo refertur in *c. 5. h. t.* Inspecta in se exhibebit explicationem mentis S. Pontificis, accepta prout jacet in *c. 5.*, nobis offert dispositionem juris canonici circa legata rei alienæ.

70. Ad 1^{am} Decretalem S. Gregorii M. inspectam in sua forma primitiva nihil reprehensione dignum præferre, liquido apparet si pars dispositiva cum specie proposita Pontifici comparatur. Peltragijs quidam detinebat calicem, et puerum servum Consentinae Ecclesiae. Designans sibi sepulturam in Ecclesia Messanensi, eidem Ecclesiae legavit et calicem et puerum. Eo demortuo Faustinus, filius et hæres, legatum bona fide præstitit, sed inde ab Ecclesia Consentina requisitus est, ut calicem et puerum redderet. Quare judicio pulsavit rectorem Ecclesiae Messanensis ut legatum acceptum restitueret. Rector vero se tuebatur juris civilis dispositione, quæ cavet rei alienæ legatum ab hærede præstandum esse. Faustinus hæres Rom. Pontificem adiit, qui animadvertens 1^o. neque leges civiles jubere revera absolute præstationem ipsius rei alienæ legatæ; 2^o. modicam fuisse hæreditatem relictam a patre Faustino filio, respondit se valde mirari quomodo rector Ecclesiae Messanensis auderet sibi retinere calicem et puerum, quorum proprietatem certo constabat ad Ecclesiam Consentinam pertinere. Quare decernit rerum legatarum restitutionem perficiendam esse. Quoniam vero leges civiles saltem pretium rerum legatarum solvere præcipent,

respondit in casu injustum esse attendere leges civiles, sed legem Dei servandam esse, nec pretium calicis, et pueri exposci posse ab Ecclesia Messanensi. Hoc vero dixit non quatenus injustam arbitraretur Gregorius legem civilem, sed quia potius injustum erat rectorem Ecclesiae in casu appellare ad rigorem legis civilis. Nam agebatur de legato magni valoris, relicto a testatore pro sepultura, quod præstandum foret a filio qui modicam hæreditatem a patre fuerat assecutus. Hinc, argumentabatur Gregorius, si locus pro humanis humanis corporibus pretio comparari non licet, a fortiori non licet in casu prætere prætere pretium rei legatæ maximi valoris ab hærede filio, qui a patre vix accepit unde sustentaretur. Quare cum decisio juris civilis de præstanda æstimatione rei alienæ legatæ non fundetur in verbis expressis testatoris, sed in præsumptione voluntatis ejus quod nempe vel res aliena redimeretur, vel pretium solveretur legatario, Pontifex declarat ex æquitate canonica, et ex lege Dei huic præsumptioni standum non esse in casu, ubi ipse testator, si scivisset vires patrimonii sui, et causam sepulturæ prope novisset ob quam legatum relinquebat, forsitan nolisset filium suum obligare ad legatum neque in æstimatione solvendum. Ex qua expositione patet S. Greg. M. cognovisse dispositionem juris civilis, et illam uti injustam haudquaquam tradidisse.

71. At quid dicendum de *cap. 5.*, prout jacet in corpore juris, seu quid de valore legati rei alienæ juxta dispositionem Juris Canonici?

Aliqui dicunt jus canonicum temperasse jus civile quoad legata rerum alienarum quæ ad aliquam Ecclesiam pertineant, ita ut in casu neque æstimatio præstanda sit. Quia cum res Ecclesiae prohibeantur alienari, censi possunt veluti extra commercium positæ ac proinde inæstimabiles. Exemplum afferunt ex jure civili de legato prædio Cæsaris *l. Apud Ins. § fin. ff. De leg. 1.* At hæc sententia admitti nequit. Nam in *c. 5.* non tam qualitas rei Ecclesiae attenditur quam causa, et insuper exceptis rebus mere spiritualibus, reliqua ad Ecclesias pertinentia sunt pretio æstimabilia, quia adhibitis juris solemnitatibus alienari possunt. Alii dicunt jus canonicum in genere admittere præstationem legati in re aliena juxta jus civile: at excipiendum esse casum quo legatum est magni valoris, et tenues sunt vires hæreditatis. At nec hæc sententia probabilis est; nam in capite nulla distinctio legitur,

nulla insinuatur comparatio legati ad hæreditatem. Quare inspecto rigore juris theoretice dici potest jus canonicum non recipere dispositionem juris civilis, ut præstandum sit vel in re, vel in æstimatione legatum rei alienæ. Animadvertimus vero in praxi receptum fuisse ut etiam in rebus ecclesiasticis valeat legatum rei alienæ præstandum, juxta dispositionem juris civilis, dummodo æquitas canonica aliud non suadeat quemadmodum in specie proposita S. Greg. M.

De dominio rei legatae.

72. Post mortem testatoris illico, et ipso jure legatarius licet ignorans incipit jus habere in rem legatam. Legatum enim est delibatio, idest portio hæreditatis, et proinde in suo esse juridico incipit existere ab ipsa morte testatoris, ex qua incipit esse hæreditas. At legatarius plenum jus ad rem petendam obtinet cum hæres gravatus adierit hæreditatem. Legatum enim ab hærede præstandum est; hæres autem oneribus hæreditariis non tenetur ante aditionem hæreditatis satisfacere. Quare si legata fuerit species, et pereat, perit legatario. Pariter cedunt legatario fructus, et accessiones, quæ rei legatae in specie obvenerint post mortem testatoris. Idem vero dici nequit si legatum sit genus ex. gr. si legatus sit unus equus ex armento, una ovis ex grege. Nam in casu si aliquis equus pereat, semper præstandum est legatum. Fructus vero solvendi non sunt nisi postquam hæres fuerit in mora solutionis legati. Hæc innuisse sufficiat, cum reliqua de testamentis pene omnia ad jus civile pertineant.

73. Breviter aliquid dicendum est de executione ultimarum voluntatum ad causas pias.

Executores testamentarii ad causas pias vel sunt qui a testatore determinantur, vel secus ipse hæres. Porro executor postquam per aliquem actum acceptaverit officium, potest compelli etiam judicis ministerio ad totam executionem perficiendam *c. 19. h. t.* Quodsi plures fuerint designati simpliciter executores, et unus demoriatur, vel in remotis agat, vel absolute nolit munus acceptare, poterunt reliqui executionem perficere, nisi voluntas obstet testatoris *c. 2. h. t. in 6. § 2.* Possunt vero esse executores omnes sive laici sive clerici, immo etiam regulares, dummodo vero proprii superioris assensum retulerint *c. 2. h. t. in 6. et Clem. un. h. t.* Superior est superior localis, seu prælatus Monasterii,

conventus aut domus religiosæ, nisi regulæ speciales instituti religiosi aliter præcipiant. Excipiuntur Fratres Minores S. Francisci de observantia juxta expressam dispositionem in *Clem. 1. De verb. signif.* in qua etiam additur ratio quia hujusmodi religiosi homines pro nulla re temporali possunt in iudicium vocari. Porro in defectu hæredis, vel executorum potest Episcopus voluntatem defuncti ad causas pias exequi. Et quidem si tempus fuerit a testatore designatum, illud expectandum erit, secus quamprimum poterit.

74. Negligentes vero executores Episcopus admonebit ut executioni committant dispositionem pii testatoris, quod si adhuc per annum fuerint negligentes ipsi Episcopo devolvitur libera facultas exequendi testamentum *c. 3. h. t. cui assentitur Nov. 131. c. 10.* Hinc in genere Episcopus in sua diœcesi habetur ceu executor natus piarum voluntatum quia advigilare debet ut piæ dispositiones testatorum observentur, quod nisi observentur ipse executioni easdem committit. Et quidem Episcopus potest compellere executores piarum voluntatum ad easdem implendas licet testator prohibuerit, quominus Episcopus se ingereret in negotio executionis *c. 17. h. t.*

75. Immo licet testator fiduciam plenam habuerit erga executorem piæ voluntatis ut sub pœna caducitatis interdixerit qualemcumque contrariam petitionem vel molestiam, tamen ordinarius exigere potest ab executore ut inventarium conficiat, adhibito notario, et duobus testibus. Ita tenuit Rota in *Fulginate. 4. Julii 1783* et S. Congreg. EE. et RR. in *Senogall. 1. Decemb. 1843* Vid. Coll. Card. Bizzarri pag. 545.

76. Circa modum executionis animadverti debet officium executorum esse ut fideliter observetur dispositio testatoris. Hinc executores neque cum consensu hæredum regulariter immutare possunt etiam in melius ultimas pias voluntates. *Sess. 22. c. 5. De Ref.* in Tridentino. Executores enim non conficiunt dispositionem, sed eam jam constitutam adimplent. Diximus regulariter; nam conveniunt doctores posse executores cum hæredis consensu, et Episcopi certum pium usum in alium pium usum immutare, quoties prior obtineri amplius non possit. At semper quo fieri possit servanda est voluntas testatoris quæ legis locum tenet. Pariter excipitur casus quo testator facultatem executoribus mutandi voluntatem concessit. Præter hos casus commutatio piæ voluntatis

testatoris facienda est cum venia Summi Pontificis cui jura reservant plenam de piis actibus disponendi potestatem *Clem. 2. De religiosis domibus* ubi Glossa *v. Sedis Apostolicæ* notat 'per hanc litteram solum Papam posse alterare usum eorum quæ per fideles donata sunt'.

77. Tandem animadvertimus executoris testamentarii potestatem penitus cessare, semel ac expleverit voluntatem testatoris, nec eam perdurare, quamvis testator executionem commiserit alicui officio seu dignitati ex. gr. Parocho pro tempore alicujus Ecclesiæ vel Archidiacono etc. Hæc enim qualitas censetur posita ad designandam personam, quæ tempore mortis voluntatem defuncti exequi debeat, non autem ad perpetuandam potestatem executoris. Regula hujusmodi deducitur ex resolutione S. Congr. Concilii diei 25. Januarii 1873, in qua agebatur de testamentaria dispositione fundandi conservatoria mulierum exequenda a Parocho pro tempore cujusdam Ecclesiæ. (Acta S. Sedis vol. 8. pag. 546.)

TITULUS XXVII.

De successione ab intestato.

1. Cum testamentum non adsit, aut si testamentum fuerit confectum sed viribus careat, hæreditas ministerio legis transmittitur, et dicitur locum habere successione ab intestato idest successione legitimam. Modus, et diversi gradus successione a jure civili pro quolibet regno determinantur. Hinc nostra non refert de hac re theorias exponere. Principia ergo solummodo exhibebimus de successione in clericorum bona.

2. Ex dictis superius in præcedentibus titulis sequitur in bonis patrimonialibus, industrialibus et parsimonialibus clerici ab intestato succedere propinquos defuncti, scilicet hæredes legitimos *can. 7. caus. 12. q. 5. in Decreto*. Bona enim hæc pertinent ad plenum, et liberum dominium civile clericus et proinde in his bonis clericus uti civis consideratur, et jure laicorum utitur. Nullis autem exstantibus propinquis, qui a jure vocentur ad successione, Ecclesia succedit in qua clericus beneficium habuit *c. 1. h. t. et glos. ibi v. Traduntur*.

3. Si clericus defunctus beneficium in aliqua Ecclesia non habuit, succedit fiscus episcopalis. Ita DD. communiter. In *c. 2. h. t.* specialis dispositio est de successione intestata in bonis sacerdotis,

qui fuerat servus. Scilicet in quatuor partes dividi debent bona quarum una Episcopo, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus, quarta propinquis adsignetur. In bonis vero beneficialibus superfluis succedit Ecclesia. Et quidem si clericus pertinebat ad collegium clericorum in Ecclesia ipsum collegium succedit, si solus fuerit, succedit in bonis is, qui in beneficio succedit. At in utroque casu sive collegium, sive novus rector aut possessor beneficii de bonis hæreditariis defuncti disponere debet, quemadmodum disponit de aliis bonis ecclesiæ. Ita in *c. 12. De Test.*

Plura autem quæ accommodari possent successione ab intestato superius dicta sunt in expositione tituli præc. tum quoad clericos sæculares, tum quoad religiosos.

TITULUS XXVIII.

De sepulturis.*)

1. Jus Romanum edixit, sacrum et religiosum esse locum in quo sepelitur humanum corpus, ita ut locus reddatur sacer et religiosus, ipsa facta humatione cadaveris *ll. 2. et 44. ff. De religiosis et sumtib. funerum*. Ecclesia autem instituit ut benediceretur, et sacris ritibus religiosus redderetur locus sepulturæ fidelium. Hinc sepultura fidelium constituit objectum juris canonici. Sepultura in sensu tituli accipitur vel pro ipso loco ubi corpora fidelium ponuntur, vel pro jure fidelium habendi sepulturam. Hinc duplex tractatio.

Sit primum de sepultura prout ea designat locum depositionis cadaverum fidelium quo in sensu definitur: 'Locus auctoritate Episcopi benedictus in quo cadavera catholicorum pie decedentium sepeliuntur'. Antiquitus corpora fidelium prohibebantur in Ecclesiis sepeliri sed sepulchrorum sedes erant in atrio, aut in porticu, aut in exhedris scilicet claustris Ecclesiæ. Quemadmodum refert *can. 15. caus. 13. q. 2.* Ecclesia reservabatur humanis solummodo Episcopo aut abbati, scilicet prælatis, vel dignis presbyteris, aut laicis virtute fulgentibus, qui fama miraculorum ex hac vita decessissent. Ita in *c. 18. caus. 13. q. 2.* Locus in quo communiter fidelium corpora sepeliebantur, dictus est cœmeterium idest locus

*) Vide polemicam de sepulturis, apud Cavagnis, Jus publ. eccles. Lib. IV. n. 276—304.